



Eduqas Latin GCSE

Prescribed material for Component 2:
Latin Literature and Sources (Themes)

Theme B: Superstition and Magic

This is the official prescribed material
for the Eduqas Latin GCSE (2021-2023)

Theme B: Superstition and magic

Candidates are expected to be familiar with the following aspects of the theme:

- the work of an *augur* ;
- the work of a *haruspex*;
- *defixiones* (curse-tablets).

Candidates should also study the following pictures, one or more of which will be used as a basis for questions in each question paper.



Picture 1
Road surrounded by tombs



Picture 2
A *defixio* (curse-tablet)



Picture 3
Preparations for a sacrifice



Picture 4
Bronze model of a liver



Picture 5
Romulus' and Remus' augury



Picture 6
Augustus (centre) as an *augur*

Information about several of these pictures, together with useful additional material for the Theme, may be found in the support available online for **Cambridge Latin Course, Book III, Stages 22-23**.

Candidates will be expected to answer questions on the following texts:

HORACE	Omens good and bad	<i>Odes</i> 3.27.1-16
MARTIAL	Cures for bad dreams	<i>Epigrams</i> 7.54
OVID	Dipsas the sorceress	<i>Amores</i> 1.8.1-18
PETRONIUS	A spooky story	<i>Satyricon</i> 61-62
PLINY	An alarming dream comes true	<i>Letters</i> 5.5
SUETONIUS	The portents before the murder of Julius Caesar	<i>Divus Iulius</i> 81
VIRGIL	Dido prepares a curse	<i>Aeneid</i> 4.504-521

WJEC/Eduqas has prepared a Resource Booklet containing all the prescribed pictures and texts, together with a list giving the meanings of all the Latin vocabulary used in the texts. To assist with preparation for the examination, this booklet is available as a download from the WJEC/Eduqas website. In the examination itself a copy of the Booklet (omitting the captions to the pictures) will be provided by WJEC/Eduqas to each candidate.

HORACE, Omens good and bad

(*Odes* 3.27,1-16)

impios parrae recinentis omen
ducat et praegnans canis aut ab agro
rava decurrens lupa Lanuvino
fetaque volpes;

rumpat et serpens iter institutum,
si per obliquum similis sagittae
terruit mannos: ego cui timebo
providus auspex,

antequam stantes repeat paludes
imbrium divina avis imminentum,
oscinem corvum prece suscitabo
solis ab ortu.

sis licet felix, ubicumque mavis,
et memor nostri, Galatea, vivas,
teque nec laevus vetet ire picus
nec vaga cornix.

5

10

15

MARTIAL, Cures for bad dreams

(*Epigrams* 7.54)

semper mane mihi de me mera somnia narras,
quae moveant animum sollicitentque meum.
iam prior ad faecem, sed et haec vindemia venit,
exorat noctes dum mihi saga tuas;
consumpsi salsaque molas et turis acervos;
decrevere greges, dum cadit agna frequens;
non porcus, non chortis aves, non ova supersunt.
aut vigila aut dormi, Nasidiane, tibi.

5

OVID, Dipsas the sorceress

(*Amores* 1.8.1-18)

est quaedam (quicumque volet cognoscere lenam,
audiat) est quaedam nomine Dipsas anus.
ex re nomen habet: nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidiit equis.
illa magas artes Aeaeaque carmina novit,
inque caput liquidas arte recurvat aquas;
scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
licia, quid valeat virus amantis equae.
cum voluit, toto glomerantur nubila caelo;
cum voluit, puro fulget in orbe dies.
sanguine, si qua fides, stillantia sidera vidi;
purpureus Lunae sanguine vultus erat.
hanc ego nocturnas versam volitare per umbras
suspicio et pluma corpus anile tegi.
suspicio, et fama est. oculis quoque pupula duplex
fulminat et gemino lumen ab orbe venit.
evocat antiquis proavos atavosque sepulcris
et solidam longo carmine findit humum.

5

10

15

PETRONIUS, A spooky story

(*Satyricon* 61-62)

cum adhuc servirem, amare coepi Melissam, uxorem Terentii
cauponis, pulcherrimum bacciballum. huius contubernalis ad
villam supremum diem obiit. itaque per scutum per ocream egi
aginavi quemadmodum ad illam pervenirem: nam in angustiis
amici apparent.

5

forte dominus Capuam exierat ad negotium expediendum. ego
occasionem nactus persuadeo hospiti nostro ut mecum ad
quintum miliarium veniat. erat autem miles, fortis tamquam
Orcus. apoculamus nos circa gallicinia; luna lucebat tamquam
meridie. venimus inter monimenta: homo meus coepit ad stelas
facere; sedeo ego cantabundus et stelas numero. deinde ut
respxi ad comitem, ille exuit se et omnia vestimenta
secundum viam posuit. mihi anima in naso esse; stabam
tamquam mortuus. at ille circumminxit vestimenta sua, et
subito lupus factus est. nolite me iocari putare; ululare coepit
et in silvas fugit. ego primo nesciebam ubi essem; deinde
accessi ut vestimenta eius tollerem: illa autem lapidea facta
sunt.

10

15

paene timore mortuus sum. gladium tamen strinxi et in tota via
umbras cecidi, donec ad villam amicae meae pervenirem. ut
larva intravi, paene animam ebullivi, sudor mihi per crura
fluebat, oculi mortui; vix umquam refectus sum. Melissa mea
mirari coepit quod tam sero ambularem. 'si ante' inquit
'venisses, saltem nos adiuvisses; lupus enim villam intravit et
omnia pecora oppugnavit; tamquam Ianius sanguinem illis
misit. nec tamen derisit, etiam si fugit; servus enim noster
lancea collum eius traiecit'. haec ut audivi, operire oculos
amplius non potui, sed luce clara domum fugi; et postquam
veni in illum locum in quo lapidea vestimenta erant facta, nihil
inveni nisi sanguinem. ut vero domum veni, iacebat miles meus
in lecto tamquam bos, et collum eius medicus curabat. intellexi
illum versipellem esse, nec postea cum illo panem gustare
potui, non si me occidisses.

20

25

30

PLINY, An alarming dream comes true
(Letters 5.5)

Gaius quidem Fannius id quod accidit multo ante praesensit.
visus est sibi per nocturnam quietem iacere in lectulo suo
compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium – ita
solebat. mox imaginatus est venisse Neronem, in toro
resedisse, prompsisse primum librum quem de sceleribus eius
ediderat, eumque ad extremum revolvisse; idem in secundo ac
tertio fecisse, tunc abisse. expavit et sic interpretatus est,
tamquam idem sibi futurus esset scribendi finis qui fuisset illi
legendi: et fuit idem.

5

quod me recordantem miseratio subit quantum vigiliarum,
quantum laboris exhauserit frustra. occurvant animo mea
mortalitas, mea scripta. nec dubito te quoque eadem
cogitatione terreri, pro istis quae inter manus habes. proinde,
dum suppetit vita, enitamus ut mors quam paucissima quae
abolere possit inveniat.

10

15

SUETONIUS, The portents before the murder of Julius Caesar
(Divus Iulius, 81)

sed Caesari futura caedes evidentibus prodigiis denuntiata est.
proximis diebus equorum greges, quos in traicioendo Rubiconi
flumini consecraverat ac vagos et sine custode dimiserat,
comperit pertinacissime pabulo abstinere ubertimque flere. et
immolantem haruspex Spurinna monuit ut caveret periculum,
quod non ultra Martias Idus proferretur. pridie autem easdem
Idus avem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianae curiae
se inferentem volucres varii generis ex proximo nemore
persecutae ibidem discerpserunt. ea vero nocte, cui inluxit dies
caedis, et ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes
volitare, alias cum Iove dextram iungere; et Calpurnia uxor
imaginata est conlabi fastigium domus maritumque in gremio
suo confodi; ac subito cubiculi fores sponte patuerunt.

ob haec simul et ob infirmam valitudinem diu cunctatus an se
contineret et quae apud senatum proposuerat agere differret,
tandem Decimo Bruto adhortante ne frequentes ac iamdudum
opperientes destitueret, quinta fere hora progressus est
libellumque insidiarum indicem ab obvio quodam porrectum
libellis ceteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus
commiscuit. dein pluribus hostiis caesis, cum litare non posset,
introiit curiam spreta religione Spurinnamque irridens et ut
falsum arguens, quod sine ulla sua noxa Idus Martiae
adessent: quamquam is venisse quidem eas diceret, sed non
praeterisse.

5

10

15

20

VIRGIL, Dido prepares to curse Aeneas

(*Aeneid* 4.504-521)

at regina, pyra penetrali in sede sub auras
erecta ingenti taedis atque ilice secta,
intenditque locum sertis et fronde coronat
funerea; super exuvias ensemque relictum
effigiemque toro locat haud ignara futuri. 5
stant arae circum et crines effusa sacerdos
ter centum tonat ore deos, Erebumque Chaosque
tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Diana.
sparserat et latices simulatos fontis Averni,
falcibus et messae ad lunam quaeruntur aenis
pubentes herbae nigri cum lacte veneni;
quaeritur et nascentis equi de fronte revulsus
et matri praereptus amor. 10
ipsa mola manibusque piis altaria iuxta
unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
testatur moritura deos et conscia fati
sidera; tum, si quod non aequo foedere amantes
curae numen habet iustumque memorque, precatur. 15